

Joannes Dantiscus episcopus Culmen-
sis, Sigismundo primo regi Poloniae.

46

Serenissima regia maiestas et domine domine
clementissime. Humillimam perpetuae meae fi-
dei et servitorum commendationem. Scri-
ptum habemus Proverbiorum XXI. Sicut di-
visiones aquarum, ita cor regis in manu
Domini, quocumque voluerit inclinabit illud,
quod sic esse in me liquido sum expertus,
qui dum nihil sum bene meritus de seren-
nissima maiestate vestra, dominus Deus ca-
sola sua misericordia, cor serenissime ma-
iestatis vestrae ad me inclinavit, cuius benic-
qua gratia iam tandem successit, quod vi-
gesima huius mensis à venerabili capitu-
lo Varmiensi in eius ecclesiae episcopum con-
cordibus votis sum postulatus, ad quem
actum magnum attulit generosus dominus
Nicolaus Nipsicz serenissime maiestatis ves-
trae orator adnuncium, ut in eo serenissi-
ma maiestatis vestrae voluntati ac dispositio-
ni satisficeret, pro qua immensa in me se-
renissime maiestatis vestrae clementia, quibus
modis aut verbis gratias habere, nedum
agere debeam, plane atque omnino nescio,
superat enim haec ingens in me beneficen-
tia omne id, quod scio, quod possum, quod
sum. Hoc tamen unum, quod solum in mea

facult:

facultate est, praesto, et animo quam hu-
millimo ac gratissimo, quantum se mea
tenuitas extendit, gratias serenissima maie-
stati vestrae habeo immortales, Deumque
omnipotentem sedulo oraturus, ut me eum
esse faciat, qui et vocationi suae divinae
voluntatis, et gratiae mihi à serenissima ma-
iestate vestra impense respondere, vel sal-
tem aliqua ex parte possim.

Porro quum iam ab ista mea eccle-
sia ad Varmiensem transferendus sim
postulatus, et successorem mihi iam pri-
dem, et per novissimas suas literas se-
renissima maiestas vestra prudentissime et
clementissime designavit, reverendissimum per
serenissimam maiestatem vestram electum
Culmensium dominum Tidemannum Gize,
et ille novas à serenissima maiestate ves-
tra presentationes, et ego commendatitias ad
summum pontificem habere cogimur literas,
quas ut à serenissima maiestate vestra ob-
tinere possimus, supplicamus.

De me, qui à tot annis serenissimae
maiestati vestrae, totique regno non sum
incognitus, non est quod scribam aut pol-
licear; hoc autem libere atque vere de hoc
reverendissimo novo electo constanter scri-
bere audeo, quod post me huic meae eccle-
siae magis convenientem ex nostratibus et
digniores episcopum deligere serenissima ma-

iestas

iestas vestra et præficere non potuerit. Vir
 inquam est non proceritate aut theatriali per-
 sona spectabilis, sed cuius forma et spes
 cies et statura, ad omnem dignitatem est
 apposita, summa integritate et innocentia
 morum, vitæque probitate ac parcitate præ-
 ditus. De pietate, literis et eruditione eius
 cum paucis communi, non est quod hic
 recenseam, quum ut arbitror, toti serenissi-
 simæ maiestatis vestre aula satis hæc
 sunt perspicua, magistratusque virum, ut
 in Grecorum est adagio ostendet, gratum-
 que et charum serenissimæ maiestati ves-
 stre fauet, cui me unâ cum illo ut dor-
 mino meo clementissimo supplicissime con-
 mendo, dominum Deum ex cordis viribus
 totis oro, ut nobis eandem serenissimam
 maiestatem vestram tempore longissimo
 prosperrime valentem atque felicissimam con-
 servet. La Lubavia die vigesima quinta
 Septembris, anno Domini millesimo quin-
 gentesimo trigesimo septimo.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]